



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno DLXXVII. ad annum DXC.

Parisiis, 1644

Concilium Avtisiodorens. Synodvs Ab Avnachario Episcopo Avtisiodorensi
cum dioecesis sua abbatibus & presbyteris celebrata sub annum Christi
DLXXVIII. id est, Pelagii II. papae I. Chilperici regis ...

urn:nbn:de:hbz:466:1-15221

habere existimat actiones. Quem ordinem legibus per omnia conuenientem, atque consentaneum demonstrari illa regula manifestat, quæ præcepit auctorem forum semper sequi pulsati. Clericis vero pulsatis in episcopali ^{Sup. 3. q. 6.} judicio forum competere, principalium quoque sanctiōnum designat auctoritas. ^{neminem.}

ANNO
CHRISTI
578.

CONCILIVM
AVTISIODORENSE.
SYNODVS

AB AVNACHARIO EPISCOPO AVTISIODORENSI
cum dioecesis suæ abbatibus & presbyteris celebrata
sub annum Christi DLXXVIII. id est, Pelagii II. pa-
pæ 1. Chilperici regis XVII.

TITVL CANONVM.

- I. De Kalendis Ianuariis. palla inuoluantur.
- II. Ut quadragesima initium in epiphania nuntietur. XIII. Ut diaconus pallis scapulas non inuoluat.
- III. Ut vota & vigilie in ecclesia exoluantur. XIV. Ne quis in baptisterio sepeliatur.
- IV. Ut auguria & sortilegia non fiant. XV. Ne mortuus supra mortuum mittatur.
- V. Vigiliae S. Martini interdictæ. XVI. De obseruatione diei dominice.
- VI. Ut christisma a media quadragesima petatur. XVII. De iis qui sibi mortem consciunt.
- VII. De Synodis presbyterorum, & abbatum. XVIII. Ut baptismus extra Pascha nisi moribundis non conferatur.
- VIII. Quod mulsum in altari offere non liceat. XIX. Ut Misse a ieunis clericis celebrentur & audiantur.
- IX. Ne chori & cantica puellarum, nec conuiua in ecclesia permittantur. XX. Ut archipresbyter de clericorum adulteriis episcopo, vel archidiacono denuntiet.
- X. Ne in altari ubi episcopus Missas dixit presbyter illa die Missas dicat. XXI. Ut clerici coniugati ab uxoribus abstineant.
- XI. De vigiliis Pasche, Natalis, & aliarum solennitatum. XXII. Relictæ clerici post eius mortem alteri nubere non licet.
- XII. Ne mortuis eucharistia detur, nec osculum: & ne velo vel XXIII. De pena abbatis qui mona-

Concil. Tom. 13.

F

- chi peccata non emendat, aut de- XXXVI. Ut mulier eucharistiam ANNO
nuntiat. nuda manu non accipiat. CHRISTI
578.
- XXIV. Abbati aut monacho ad XXXVII. Ne mulier pallas domi-
nuptias ire non licet. nicas contrectet.
- XXV. Abbati aut monacho filios de XXXVIII. Ut nullus cum excom-
baptismo habere non licet. municato communicet.
- XXVI. De pena abbatis qui mulie- XXXIX. Ut qui cum excommuni-
rem in monasterium ingredi per- cato communicat simili sententiae
misericordia. subiaceat.
- XXVII. Nouercam in uxorem ac- XL. Ne presbyter inter epulas can-
cipere non licet. tet, aut saltet.
- XXVIII. Nec priuignam ducere. XL I. Presbytero, vel diacono ac-
XXIX. Nec cognatam. cusare non licet.
- XXX. Nec duas sorores. XL II. Ut mulier sine dominicali
XXXI. Nec consobrinā, aut sōbrinā. non communicet.
- XXXII. Nec relictam auunculi. XL III. De pena iudicis qui cleri-
XXXIII. Ut presbyteri & diaconi cum sine episcopi voluntate di-
reorum supplicia non spectent. strinxerit.
- XXXIV. Ut presbyter iudicio ca- XL IV. De pena laici qui archipre-
pitis non interficit. sbyteri admonitionem contemnit.
- XXXV. Ut clericus clericum ad iu- XL V. De obseruatione horum Ca-
dicem facularem non trahat. nonum.

C A N O N E S.

I.

NON licet Kalendis Ianuarii² vetula, aut cer-
uo lo facere, vel strenas diabolicas obseruare:
sed in ipsa die sic omnia beneficia tribuantur, sicut
& reliquis diebus.

II.

Vt omnes presbyteri ante epiphaniam missos
suos dirigant, qui eis de principio quadragesimæ
nuntient, & in ipsa epiphania ad populum indicent.

III.

⁴ Non licet compensos in domibus propriis, nec
peruigilias in festiuitatibus sanctorum facere; nec
inter fentes, aut³ ad arbores sacriuos, vel ad fon-
tes vota exoluere: sed quicumque votum habue-
rit, in ecclesia vigilet, & matriculæ ipsum votum,

PELAGIVS AVTISIODORENSE. IVSTINVS IVN. IMPERATOR.
P. II. CHILPERICVS REX FRANC. 43
ANNO CHRISTI
578. aut pauperibus reddat : nec sculptilia aut pede , aut
homine lineo fieri penitus præsumat.

IV.

Non licet ad sortilegos , vel ad auguria respice-
re , *non ad caragios , nec ad fortis , quas Sanctorum
vocant , vel quas de ligno , aut de pane faciunt ,
aspicere : sed quæcumque homo facere vult , om-
nia in nomine Domini faciat .

V.

Omnino & inter supradictas conditiones , per-
uigilias , quas in honore domni Martini obser-
uant , omnimodis prohibete .

VI.

Vt a media quadragesima presbyteri chrisma pe-
tant : & si quis infirmitate detentus venire non po-
tuerit , ad archidiaconum suum , vel archisubdia-
conum transmittat , sed cum chrismario & linteo ,
sicut reliquiæ sanctorum deportari solent .

VII.

Vt medio Maio omnes presbyteri ad Synodum
in ciuitatem veniant , & Kalendis Nouembris om-
nes abbates ad Concilium conueniant .

VIII.

Non licet in altario in sacrificio diuino melli-
tum , quod mulsum appellant , nec ullum aliud po-
culum , extra vinum cum aqua mixtum , offerre :
quia ad grande reatum & peccatum pertinet pre-
sbytero illi , quicumque aliud poculum , extra vi-
num , in consecrationem sanguinis Christi offerre
præsumperit .

IX.

Non licet in ecclesia choros sacerdotalium , vel puel-

Concil. Tom. 13.

F ij

larum cantica exercere , nec conuiua in ecclesia
Math. 21. præparare , quia scriptum est : *Domus mea , domus*
orationis vocabitur.

ANNO
CHRISTI
578.

X.

Non licet super vno altario in vna die duas Missas dicere : nec in altario vbi episcopus Missas dixerit , vt presbyter in illa die Missas dicat.

XI.

Non licet in vigilia Paschæ ante horam secundam noctis vigilias perexplere , quia in illa nocte non licet post medium noctem bibere , nec in natali Domini , nec in reliquis solennitatibus.

XII.

Non licet mortuis , nec eucharistiam , nec osculum tradi , nec velo vel pallis corpora eorum inuolui.

XIII.

Non licet diacono , velo vel palla scapulas suas inuolui.

XIV.

Non licet in baptisterio corpora sepeliri.

XV.

Non licet mortuum super mortuum mitti.

XVI.

Non licet die dominico boues iungere , vel alia opera exercere , nisi pro causis constitutis.

XVII.

Quicumque se propria voluntate in aquam iactauerit , aut collum ligauerit , aut de arbore præcipitauerit , aut ferro percusserit , aut qualibet occasione voluntariæ se morti tradiderit , istorum oblationis non recipiatur.

Capitular.
l. 7. c. 334.
Iuo part.
10. c. 6.

XVIII.

Non licet absque Paschæ solennitate vlo tempore baptizare, nisi illos quibus mors vicina est, quos grabatarios dicunt. Quod si quis in alio pago, contumacia faciente, post interdictum hoc infantes suos ad baptismum detulerit in ecclesias nostras, non recipientur vsque ad satisfactionem. Et qui cumque presbyter ipsos extra nostrum permisum recipere præsumperit, tribus mensibus a communione ecclesiæ sequestratus sit.

XIX.

Non licet presbytero, aut diacono, aut subdiacono, post acceptum cibum vel poculum Missas tractare, aut in ecclesia dum Missæ dicuntur stare.

XX.

Quod si presbyter, quod nefas est dicere, aut diaconus, aut subdiaconus, post acceptam benedictionem, infantes procreauerit, aut adulterium commiserit, & archipresbyter hoc episcopo aut archidiacono non innotuerit si scit, integro anno non communicet, illi vero qui hoc commiserint depontantur.

XXI.

Non licet presbytero, post acceptam benedictionem, in uno lecto cum presbytera sua dormire, nec in peccato carnali misceri, nec diacono, aut subdiacono.

XXII.

Non licet relictae presbyteri, nec relictae diaconi, nec subdiaconi, post eius mortem maritum accipere.

XXIII.

ANNO
CHRISTI
574.

Si monachus in monasterio adulterium commiserit, aut peculiare habere præsumpscerit, aut furtum fecerit, & hoc abbas per se non emendauerit, aut episcopo, aut archidiacono non innotuerit, ad pœnitentiam agendum in alio monasterio retrudatur.

XXIV.

Non licet abbatii, nec monacho, ad nuptias ambulare.

XXV.

De consecr.
dist. 4. Non
licet abbatii. Non licet abbatii filios de baptismo habere, nec monachis commatres habere.

XXVI.

Quod si quis abbas mulierem in monasterio suo ingredi permiserit, aut festiuitates aliquas ibi spectare præceperit, tribus mensibus in alio monasterio retrudatur, pane & aqua contentus.

XXVII.

Non licet ut aliquis suam nouercam accipiat vxorem.

XXVIII.

Non licet ut filiam vxoris suæ quis accipiat.

XXIX.

Non licet ut reliqtam fratri sui quis in matrimonium ducat.

XXX.

Non licet duas sorores, si vna mortua fuerit, alteram in coniugium accipere.

XXXI.

Non licet consobrinam, hoc est quæ de duabus

ANNO
CHRISTI
578. fratribus , aut de duabus sororibus procreatur , in coniugium accipere : nec qui de ipsis nati fuerint , in coniugio socientur .

XXXII.

Non licet ut nepos auunculi vxorem accipiat .

XXXIII.

Non licet presbytero , nec diacono , ad trepantium , vbi rei torquentur , stare .

XXXIV.

Non licet presbytero in iudicio illo stare , vnde homo ad mortem tradatur .

XXXV.

Non licet presbytero , aut diacono , vel cuiquam clericorum , de qualibet causa conclericum suum ad iudicem sacerdotalem trahere .

XXXVI.

Non licet mulieri nuda manu eucharistiam accipere .

XXXVII.

Non licet mulieri manum suam ad pallam dominicam mittere .

XXXVIII.

Non licet cum excommunicato communicare , nec cum eo cibum sumere .

XXXIX.

Si quis presbyter , aut quilibet de clero , aut de populo , excommunicatum absque voluntate ipsius , qui eum excommunicauit , sciens receperit , aut cum illo panem manducauerit , vel colloquium habere decreuerit , simili sententiæ subiacebit .

X L.

ANNO
CHRISTI
578.

Non licet presbytero inter epulas cantare vel
saltare.

X L I.

Non licet presbytero, nec diacono, quemquam
inscribere; sed in vice sua, si causam habuerit, aut fra-
trem, aut quemcumque sacerdalem roget.

X L I I.

Vt vnaquæque mulier, quando communicat,
dominicalem suum habeat. Quod si qua non ha-
buerit, usque in alium diem dominicum non com-
municet.

X L I I I.

Quicumque iudex, aut sacerdos, presbytero,
aut diacono, aut cuilibet de clero, aut de iuniori-
bus, absque voluntate episcopi, aut archidiaconi, vel
archipresbyteri, iniuriam inferre præsumperit,
anno ab omnium Christianorum consortio habeat
extraneus.

X L I V.

Si quis ex sacerdotalibus institutionem aut admoni-
tionem archipresbyteri sui, contumacia faciente,
audire distulerit, tamdiu a liminibus sanctæ ecclesiæ
habeatur extraneus, quamdiu tam salubrem insti-
tutionem adimplere non studuerit. Insuper & mul-
ctam, quam gloriosissimus dominus rex præcepto
suo instituit, sustineat.

X L V.

Si quis hanc definitionem, quam ex au&torita-
te canonica communi consensu, & conuenientia
conscriptissimus ac instituimus, tam ad clerum, quam
ad

<sup>ANNO
CHRISTI
578.</sup> ad populum commonendum , vel ad id quod constitutum est conseruandum , negligens inuentus fuerit,& ob hoc obseruare distulerit, aut eos qui ipsum audire neglexerint celauerit aut suppresserit, & in notitiam episcopi non deposuerit , anno a consortio fratrum , vel ab omnium Christianorum communione habeatur extraneus.

S V B S C R I P T I O N E S.

Aunacharius in Deinomine episcopus constitutionem hanc subscripsi.

Vinobaudis abbas subscripti.

Baudonius abbas subscripti.

Francolus abbas subscripti.

Cæsarius abbas subscripti.

Desideratus abbas subscripti.

Amandus abbas subscripti.

Tegredus abbas subscripti.

Vigilius presbyter subscripti.

Gregorius presbyter subscripti.

Claudius presbyter subscripti.

Anianus presbyter subscripti.

Saupandus presbyter subscripti.

Theodulfus presbyter subscripti.

Ruricius presbyter subscripti.

Niobaudis presbyter subscripti.

Antonius presbyter subscripti.

Seuardus presbyter subscripti.

Addo presbyter subscripti.

Sindulfus presbyter subscripti.

Audouius presbyter subscripti.

Medardus presbyter subscripti.

Badericus presbyter subscripti.

Syagrius presbyter subscripti.

Friobaudis presbyter subscripti.

Eominus presbyter subscripti.

Elladius presbyter subscripti.

Theodemodus presbyter subscripti.

Launouius presbyter subscripti.

Leonastis presbyter subscripti.

Medardus presbyter subscripti per diaconum Leudegisilum.

Eunius presbyter subscripti.

Filmatius presbyter subscripti.

Nonnouius presbyter subscripti.

Concil. Tom. 13.

G

Ballomeris presbyter subscripti.
Romacharius presbyter subscripti.
Medardus presbyter subscripti.
Audila presbyter subscripti.
Genulfus presbyter subscripti.
Syagrius presbyter subscripti.
Sindulfus presbyter subscripti.
Vinobaudis presbyter subscripti.
Apronius diaconus subscripti.
Barbario diaconus subscripti.
Leudegisilus diaconus pro Medardo subscripti.

In hac Synodo fuerunt congregati episcopus unus, abbates septem, presbyteri 34. diaconi, qui in vice presbyterorum subscripti sunt, trestantum.

NOTÆ IACOBI SIRMONDI
SOCIETATIS IESV.

* *Sub annum Christi D LXX XVIII.]* In Synodo Autifiodorensi nihil est quod tempus denotet, præter nomen Aunacharii episcopi qui præfuit. Nos, quia verisimile videbatur sub initia episcopatus habita fuisse, satius duximus paulo post Concilium IV. Parisiense, cui interfuerat, collocare, quam ad annum Christi 590. quod nonnullis placuit, reiicere. Absurdius autem illi faciunt, qui anno 614. collificant, cum exploratum sit Aunacharium vitam ad ea usque tempora non produxisse.

* *Vetula aut ceruolo facere.]* Quidam libri *vecola*, alii *vacola*, aut *vecolo*, legunt. Lectio nostra auctorem habet sanctum Eligium in sermone ad omnem plebem: *Nemo in Kalendis Ianuariis nefanda & ridiculosa, vetulas aut ceruulos, vel iocicos faciat.* Extat hic sermo in appendice tomij 9. operum sancti Augustini tract. 20. sine nomine auctoris: reuera autem est sancti Eligii episcopi Nouiomensis veterum exemplarum consensu, & Audoeni testimonio in vita sancti Eligii. Hanc eamdem lectio[n]em confirmat, simulque quid sit *vetula* aut *ceruolo* facere docet *vetus p[re]uentiale* in codice Andegauensi: *Si quis, inquit, in Kalendis Ianuariis in ceruulo & in vetula vadet, tribus annis peniteat, quia hoc demonum est.* Vtrobique porro *vetula* prisco more scriptum pro *vitula*.

* *Ad arbores sacrius.]* Sanctus Eligius in eodem sermone: *Arbores, quas sacrius vocant, succidite: pedum similitudines, quas per bitios ponunt, fieri vetate, & ubi inuenieritis igne cremate.*

* *Non ad caragios.]* Vulgati characteres sed caragios habent omnes antiqui, Tilianus, Bellovacensis ac Pithœanus. Item & S. Eligius: *Non caragios promittentes, quae explere non valent, non diuinos, non sortilegos, &c. consulere presumatis.* & S. Augustinus sermone 241. de tempore.

* *Archisubdiaconum.]* Pithœanus, *Subarchidiaconum.*

NOTÆ SEVERINI BINII.

* *Concilium.]* Ad ecclesiasticam disciplinam nec non monasticam

ANNO CHRISTI 578. obseruantiam retinendam, in hoc Concilio sancti reperiuntur qua-
draginta quinque Canones; quorum nonnulli et si in vsu esse desie-
rint, antiquitatis tamen indices remanserunt. Concilium fuit non
prouinciale, sed dioecesanum dumtaxat, cui solus Aunacharius eius-
dem ciuitatis episcopus cum abbatibus & presbyteris eiusdem dioe-
cessis præfuit. Plura ex iis, quæ in Matisconensi II. Concilio statuta
fuerant, cuique ipse Aunacharius interfuit, & sexto loco subscriptis,
pariter hic repetita esse reperiuntur.

^b *Autifidorense.] Autifidorum, inquit Ortelius, vrbis est in Bur-* Locus Cō-
gundionibus, vino, quod inde nomen habet, plurimum nobilitata. Hodie cili*lii quæ?*
Auxerre dicitur secundum quosdam: ita Ortelius. alii est ciuitas Gal-
liae Lugdunensis iuxta Sequanam sita, que a Ptolemæo Antricum di-
citur: meminit eius Antoninus in itinerario.

^c *Anno Domini.] Paulo post Concilium Matisconense II. hanc Tempus.*
Synodus habitam fuisse hoc indicio colligitur, quod Aunacha-
rius utriusque interfuerit, quæque illo Matisconensi secundo communi-
patrum consensu sancta fuerant, hac Synodo dioecesana suis subdi-
tis intimauerit.

^d *Non licet, &c. vigilias in festiuitatibus sanctorum facere.] Prohiben-* Cap. 5.
tur vigiliae quæ cum quadam superstitione, quam admixtam habe-
bant, in priuatis domibus fieri consueuerant. Cum enim imme-
diate ante dixisset; *Non licet Conuentus in domibus propriis facere, sub-*
iunixerunt, nec vigilias in festiuitatibus sanctorum. Et paulo post:
sed quicunque votum habuerit, in ecclesia vigilet. Ita intelligenda sunt,
quæ de superstitione vigiliarum obseruatione Canone quinto ha-
bentur. Hæc expositio confirmatur eo argumento, quod patres
Concilii Matisconensis secundi, quemlibet diem dominicum præ-
cedentibus nocturnis vigiliis a fidelibus celebrari constituerint.
Quod decretum prouincialis Concilii, cum ipse Aunacharius Auti-
fidorensis episcopus sua præsentia & subscriptione confirmauerit,
non est probabile, vt per hoc dioecesanum Concilium illi constitu-
tioni aliquid derogatum voluerit, cum præsertim Canone undecimo
huius Concilii, de vigiliis Paschæ religiose seruandis sanctissimam
constitutionem ediderit. Quam frequens fuerit hoc tempore usus
vigiliarum in Gallia, ex Canone primo Concilii Matisconensis II.
satis liquido appetet.

^e *Vt unaqueque mulier, quando communicat, dominicalem suum ha-* Can. 42.
beat.] Quid per dominicalem intelligi debeat, accipe ex sancto Au- Dominica-
gustino, qui de hoc agit sermone centesimo quinquagesimo se- le quid?
condo de tempore, ubi ait: Omnes viri, quando communicare de-
siderant, lauen manus, & omnes mulieres nitida exhibeant linteamina,
ubi corpus Christi accipiant, &c.